ipſius; quandoquidem ex aliorum Sanctorum Patrum ſententia, Crux, & mons Calvarius, quæ ſemper obverſabantur ob oculos ejus, fecerunt illam ipſam Crucem viventem, & Calvarium animatum, & ille doloris gladius, qui ſecundum Sancti Simeonis prophetiam aliquando transfixurus erat cor illius, adhibitus fuit in dilectiſſimi Filii paſſione ad exprimendam in Matre vivam Imaginem omnium dolorum illius.

Artis profecto miraculum eſt ſcalpro ita marmor cædere, ut hominem repræſentet, & quamvis obluctetur materia, ibi videantur minutiſſima etiam lineamenta, quæ hominem repræſentent, & præbeant cognoſcendum: verum ad quemcumque excellentiæ gradum ars pervenire valeat, nonniſi muta effecit ſimulacra, & ſine motu, ideoque licet dicatur, ars naturam imitari, tamen longiſſime diſtat. Sed hic doloris gladius, quo Mariæ cor transfixum fuit, ſcalpro penetrabilior pervaſit uſque ad præcordia mœſtiſſimæ Genitricis, ut abſolutiſſimam ibi efficeret imaginem paſſionum Filii ſui, ita ut cum audio Prophetam in perſona Divini hujus hominis Cruci
Thren. 1. ſuffixi quærentem, *Attendite, & videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus*, libenter reſponderem me ſane inveniſſe, quod quærit, dolorem videlicet omnino ſimillimum; quoniam quantum Matris paſſiones ad Filii paſſiones propius accedunt, tantum omnibus ceterorum Martyrum paſſionibus antecellunt.

Ut hoc evincam tribus tantum uti volo verbis allatis in Evangelio: *Stabat juxta Crucem* Jesu *Mater ejus*, ubi duos reperio fontes dolorum, qui faciunt hoc mare amaritudinis vaſtum in extenſione ſua, & impenetrabile in profunditate.

Primus eſt amoris ſui magnitudo, quæ inſpirat illi æqualem compaſſionem doloribus hujus Filii, quem majori amore complectitur, quam ſemet ipſam. *Mater ejus*.

Alter eſt fortitudo ſpiritus, & conſtantia cordis ſui, quod obfirmatur contra hunc dolorum torrentem, omnemque ſuſtinet eorum impetum ſine ullo ſolatio, & conſolatione. *Stabat juxta Crucem* Jesu. Prior illam efficit viventem imaginem dolorum Salvatoris; Alter vero exemplar conſtantiæ in graviſſima deſolatione, quæ unquam extiterit poſt Filii ſui deſolationem: Hæc erit ſermonis partitio.

Vide Tomo III. Bibliothecæ Myſt. Theol. qui eſt de Myſteriis B. Virginis, Titulo: Dolores Beatæ Virginis.

Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo, Luc. 22.

II. Argum. De Converſione, & petitione boni Latronis.

Jesus in Cruce moriens validam nobis parabat in Sanguine ſuo medicinam. Hujus virtutem in bono Latrone voluit experiri, neque dicendo aſſequi poſſumus quantum efficax fuerit virtus ejus, & quam ſalutaris effectus illius.

Punctum Primum. Bonus hic Latro fidem adeo vivam, & acrem præſetulit, ut Sanctus Auguſtinus dicere non dubitaverit, nihil ſimile non in Iſrael tantum, immo neque in univerſo terrarum orbe viſum fuiſſe, Abraham credidit Deo, ſed illi de Cælo Deus loquebatur. Moyſes credidit illi, ſed Deus loquebatur illi de rubo ardenti, & miraculoſo. Eidem credidit Iſaias, ſed Deus loquebatur de trono Majeſtatis admirabili ſeptus Beatorum Spirituum corona. Boni latronis fides longe perfectior fuit, quippe credidit in Jesum Christum, dum ab omnibus deſtitutus, nudus pendebat in Cruce. Hic Stellam non viderat, ut Magi, qui adoraverunt illum in præſepi; non audiverat ſuaviſſimum Angelorum concentum, uti Paſtores; non viderat gloriam ejus in Thabor, uti Sancti Petrus, & Joannes, neque ejuſdem miracula, ut Maria Magdalena, & nihilominus confeſſus eſt Jesum Christum; innocentiam, & poteſtatem illius recognovit, cum Judæi illum crucifigerent, cum Phariſæi illum blaſphemarent, cum Apoſtoli in fide nutantes eum derelinquerent, aufugerentque. O Latronem
Auguſt. ſerm. de tempore. admirabilem, fide ferventem! vim Cælo inferentem, adorantem Deum ſupplicii ſui conſortem, & in Calvario confitentem eum, quem Judas prodidit in Horto Olivarum! O quam acuta, & perſpicax eſt acies Fidei! Sanctus Bernardus inquit. Detegit omnipotentem in infantia, Sanctum Sanctorum in ſupplicio nocentium, & Deum viventem in umbra mortis.

Secundo. Repletus eſt firma confidentia, quæ eo magis erat generoſa, quo magis nullis erat adminiculis innixa. Videbat hominem morientem, & ab eo etiam poſt mortem ſe ſalvari poſſe ſperabat; ſe ipſum peccatorem confitebatur, ac ſexcentorum criminum reum; & ſperabat ſe veniam conſecuturum ab eo, qui ita bonus erat, ut pro inimicis ſuis deprecaretur. Nimis ſero ſe ipſum agnoſcebat, cum fere animam in labiis exitura verſaretur, & ſperabat in eo, qui Deus eſt vitæ, & mortis, certo ſciens nullam eſſe adeo comploratam ægritudinem, quam medicus adeo potens curare non poſſet. Denique nunquam antea expertus fuerat Salvatoris ſui miſericordiam, & nihilominus ſperabat futurum, ut ſpes ſua non falleretur, & ut ſe projiciens inter brachia illius, quem ab omnibus derelictum videbat, votorum ſuorum ſummam aſſequeretur.

Tertio loco in corde ſuo ardentiſſimam caritatem ſuccendit erga Deum ſimul, & proximum ſuum. Erga Deum quidem affirmans innocentiam Jesu Christi invitis Scribis, & Phariſæis; erga proximum vero peramanter corripiens ſodalem ſuum Salvatori Mundi inſultantem; quamobrem Sanctus Cyprianus illum Martyrem vocat, & Sanctus Auguſtinus docet, ipſum non minus coram Deo fuiſſe meritum confitendo Jesum Christum Crucifixum, quam ſi propter Jesum Christum crucifixus fuiſſet. Nonnulli etiam horum Patrum ſententiæ aliquid adjiciunt, dicentes illum per hoc ſe dignum præbuiſſe, ut non ſolum inter Martyres locum obtineret, ſed etiam Luciferi ſolium occuparet.

Punctum Alterum. Quanta extiterit Filii Dei miſericordia erga Latronem hunc. Primum enim dedit Paradiſum Latroni, videlicet perfruitionem infiniti boni, illi, qui nihil unquam boni fecerat. Secundo hanc illi dedit ſine mora; non fecit, ut illam expectaret, ſimul enim pollicetur, & largitur. Hanc illi haud ægre, & ſine dolore tribuit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo*. Ne dubites de voluntate mea; niſi cuperem te ſalvum facere, in hoc ſtatu non eſſem: Crux mea Cæli clavis eſt, quæ tibi Paradiſi januam aperiet. Ab æterno concepi conſilium, te beatum efficiendi, ac illud in æternitatem omnem ſervabo.

Punctum Tertium. Jesus tacet, cum maledictis obruitur, & ſimulac accidit auribus ejus clamor pauperis miſeri, ſe continere non poteſt, quo minus illi reſpondeat, & benigne preces ejus exaudiat. Condonat graviſſima peccata, quæ contra perſonam ſuam perpetrantur, & pro exiguo merito a Latrone ſibi præſtito ſtatim Paradiſum rependit. Numquid ita ſe gerunt cum famulis ſuis Principes mundi? Heu! atteritur in eorum famulatu totum vitæ ſpatium, quin ulla merces percipi valeat, & poſt annos viginti ſervitutis, ſatis eſt verbum incautius prolatum ad ſubeundam offenſionem illorum.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Mor. Evang. Titulum: Misericordia Dei.

PRO FERIA QUINTA
MAJORIS HEBDOMADÆ.

Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos, Joann. 13.

I. Argum. De Amore, quem Dei Filius teſtatus eſt hominibus in Sanctiſſimo Sacramento.

SI Amor in Spiritibus id agit, quod pondus in Corporibus, juxta Sancti Auguſtini Sententiam; *Amor meus pondus meum*, numquid non videtur vobis, Chriſtiani Auditores, quemadmodum naturales corporum motus eo violentiores ſint, quo propius ad centrum accedunt, ubi requiem habituri ſunt, ſimili ratione amorem filii Dei nunquam fuiſſe vehementiorem, quam cum ſe propiorem intuitus eſt vitæ ſuæ termino. Hoc in ſenſu intelligenda ſunt verba illa dilecti diſcipuli: *cum dilexiſſet ſuos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos*. Quamquam dilexerit homines, eiſque amorem hunc fuerit teſtatus toto eo tempore, quo permanſit in terra, hoc tamen potiſſimum accidit ſub finem vitæ ſuæ, cum certiſſima illis præbuit benevolentiæ argumenta, inveniens artem adeo admirabilem permanendi apud illos uſque ad ſæculorum conſummationem: vel *in finem*, uſque ad mortem, per amorem conſtantem, & de morte ipſa victorem; quoniam nobis ſemper præſentem facit illum, quem mors oculis noſtris eripuerat. Sed potius dicamus juxta nonnullorum explicationem; *in finem dilexit eos*, ad exceſſum uſque illos amavit, & amor illius uſque ad extremum punctum, quo pervenire poterat, evaſit: quapropter non vereor cum pluribus Sanctis Patribus finem hunc appellare extremum amoris Dei erga homines terminum; idque per tres effectus, vel potius tres admirabiles conatus, qui totidem ſunt certa indicia ſecundum eam rationem, qua homines agere conſueverunt.

Primo cum nihil prætermittitur inauſum, ut quod ſuſcipiunt, & cupiunt, conſequantur.

Secundo cum nihil eſt, quod non donetur ad finem ſuum conſequendum.

Tertio cum nihil eſt, quod non perferatur ad poſſeſſionem illius retinendam. Ita ut multa facere, donare multa, & multa pati, quæ generatim tria ſigna ſunt certiſſima violenti amoris, illa eadem fieri, quæ nobis cognoſcendum tradunt exceſſum amoris Dei in hoc adorabili Myſterio, & quæ nobis Sermonis hujus partitionem ſuppeditabunt.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Myſt. Theolog. Titulum: Eucharistia.

MONITUM
DE PASSIONE DOMINI.

HOC loco non tribuuntur peculiares Partitiones pro Paſſione Salvatoris Mundi, neque adfertur ſuppellex, & argumentorum copia ad eas pertractandas; Hæc petenda eſt ex Bibliotheca noſtra. Verum mihi arridet eorum ſententia, qui arbitrantur optimam rationem prædicandi Paſſionem eſſe aliquam nanciſci propoſitionem, quæ nos cogat totam hanc tragicam Hiſtoriam ad certa revocare capita, quæ ſingulas illius partes explicent. Ceterum ſimplex narratio eloquenter inſtituta cum iis locutionibus, quæ indigitent ipſum præ ceteris Concionatorem affectum eſſe, majorem obtinet vim in audientium animos, & corda, quam omnia argumenta, & exquiſitiſſimæ ſententiæ. Immo hoc unum poſtulat Auditor hodie cum nonnullis moralibus animadverſionibus, quæ ex argumenti magnitudine, & circumſtantiis, quas exhibebit, oborientur.

PRO DOMINICA
RESURRECTIONIS.

Surrexit, non eſt hic. Marci 16.

I. Argum. Victoriæ Salvatoris in Reſurrectione.

POMPAM, & Apparatum, quo Eccleſia hodiernam ſolemnitatem concelebrat, Fideles intuiti, nonne vobis videre videremini Eccleſiam in terra triumphantem? Ubique exuberantis lætitiæ perſonant verba, ubique Epinicia exaudiuntur quæ exceſſum lætitiæ poſt tot
Pſal. 117. lacrymas, doloreſque teſtantur. *Hæc dies, quam fecit Dominus*. Profecto niſi illa divino ageretur ſpiritu, dicerem, illam lætitiæ magnitudine extra ſe rapi, neque amplius meminiſſe Deum, cum omnia creaverit ſæcula, annos, & dies, Auctorem eſſe ceterorum etiam præter hanc, quam unice diem Domini appellat. *Hæc dies, quam fecit Dominus*. Verum omnia Eccleſiæ verba, non ſecus ac facta Myſteria ſunt, & diei huic nomen hoc tribuit, ut ſe ſe accommodet hominum rationi loquendi, qui victorias ſuas, & præclariſſima facta *dies ſuos* vocant. Quamobrem magna hæc dies, qua Dei Filius tot victorias reportavit, non poterat æquiori jure dies Domini appellari. Ut igitur, Fideles, Eccleſiæ mentem, ſpiritumque aſſequamur, poſtquam præteritis diebus vidimus hunc Hominem-Deum victum conatibus inimicorum ſuorum, hodierna die illum vobis exhibere volo tamquam victorem, triumphum referentem.

Primo de morte, a qua victus fuerat, & qui certam nobis dat ſpem futurum, ut aliquando, ſicut ille, reſurgamus.

Secundo de infidelitate, in qua Apoſtoli ejus, & omnes homines permanſiſſent, niſi ille reſurrexiſſet.

Tertio tandem de peccato, quod cauſſa fuit mortis ſuæ licet innocens eſſet, poſtquam mortem attuliſſet hominibus omnibus; quoniam nihil validius, ac potentius ad compeſcendas iniquitates noſtras cogitatione ſuæ, noſtræque ſimul reſurrectionis. Hæ tres ſunt inſigniores victoriæ, quas magna hac die refert, quæ cum ſint cauſſæ ſanctæ hujus lætitiæ, quam præ ſe fert Eccleſia, erunt quoque Sermonis hujus partitio.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Myſt. Theol. Titulum: Resurrectio D. N.

Jesum *quæritis Nazarenum Crucifixum; Surrexit, non eſt hic*. Marci 16.

II. Argum. Pro eadem die. Dominus noſter J. C. non ſolum pro ſemet ipſo, ſed etiam pro univerſo Mundo reſurrexit.

Cum Dominus, & victor mortis, non ſolum Deus eſſet, & homo, ſed etiam Salvator hominum non ſibi ſolum, verum etiam pro ceteris hominibus reſurrexit; quapropter ipſe ille per antonomaſiam ſe noſtram vocat reſurrectionem, quæ ſuæ tantum innititur, quippe quæ illius cauſſa eſt, exemplar, probatio, & ſpes, omnia ſimul. Itaque hodierna die fert animus hanc Filii Dei reſurrectionem intueri non ſolum tamquam triumphum, quem de morte, deque inferis reportavit, ſed tamquam noſtræ felicitatis cauſſam, & reſurrectionis, quam ſtatim inchoare debemus; quoniam ex Divi Pauli ſententia reſurrexit propter juſtificationem noſtram; videlicet, ut in anteceſſum anima a peccato ad gratiam reſurgeret per vitam prorſus recentem, & ſanctam, ut vitam prorſus glorioſam mereamur poſt corporum noſtrorum reſurrectionem.

Propterea in priori hujus ſermonis parte oſtendam, ſpem certam, quam hodierna die Salvator præbet reſuſcitandi corpora noſtra in ſæculorum exitu, debere modo operari noſtrarum animarum reſurrectionem de morte peccati ad vitam gratiæ. Hic eſt effectus, quem Salvatoris reſurrectio modo parere debet in nobis.

In parte autem altera, hanc animarum noſtrarum reſurrectionem aliquando operaturam glorioſam reſurrectionem corporum noſtrorum, & ſimilem reſurrectioni Filii Dei, ſicut nos docet Apoſtolus. Hunc effectum pariet aliquando, & qui cum uſque ad temporis finem abſit, debet nos tamen excitare ad amplectendam omnem ſeveritatem, quam Chriſtiana Religio repoſcit, & nos in omnibus vitæ hujus laboribus conſolari. Hoc erit argumentum, & partitio ſermonis.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Myſt. Theol. Titulum: Resurrectio.

Jesum *quæritis Nazarenum, ſurrexit, non eſt hic*. Marci 16.

III. Argum. Pro eadem die. Dominus noſter poſt diem tertium reſurgit immortalis.

Tandem hæc ſanctæ ſuæ humanitatis arca, poſtquam jacuit veluti ſubmerſa in Sanguinis ſui cataclyſmo, feliciter in immortalitatis portum pervenit; quoniam novus hic Jonas de tumuli abyſſo egreditur eo modo, quo primus egreſſus eſt de ventre ceti. Quoniam Templum hoc Myſticum Salomonis Judæorum rabie deſtructum, atque everſum, tertia die reparatum eſt magnificentius quam ante, & quia tandem hic Sol, qui Eclypſim paſſus erat triduo in mortis umbra, efficit, ut ſecum natura univerſa reviviſcat. Igitur Jesu Christi Reſurrectio nobis eſt peculiaris lætitiæ argumentum, quoniam illam ſpectare debemus tamquam fidei noſtræ confirmationem, & pignus certum ſpei noſtræ.

Primo eſt fidei noſtræ confirmatio; eſt enim invicta probatio omnium veritatum Religionis noſtræ.

Secundo, certum pignus eſt noſtræ ſpei, cum enim conſtet Jesum Christum reſurrexiſſe, nos qui ſumus fratres, & cohæredes illius, reſurgere debemus, ut ille. Quænam autem nobilior, & præſtantior cauſſa nos impellere poteſt, ut vivamus ita, ut aliquando participes fieri valeamus reſurrectionis Filii Dei? Hoc igitur Myſterium ſimul eſt & fidei noſtræ fundamentum, & potiſſima ratio totius diſciplinæ Chriſtianæ. Quod vobis perſuadere conabor in duabus partibus hujus Sermonis.

Vide locum ſuperius memoratum.

FERIA SECUNDA
POST DOMINICAM RESURRECTIONIS.

Tu ſolus peregrinus es in Jeruſalem; & non cognoviſti, quæ facta ſunt his diebus? Luc. 24.

I. ARGUM. Comparatio Chriſtianorum cum viatoribus.

HÆc verba anſam præbuerunt pluribus Sanctis Patribus inſtituendæ comparationis inter Chriſtianos, & Viatores, qui ſunt in terra aliena, & qui flagrant deſiderio in patriam ſuam redeundi. Et profecto quid magis proprium, ſimulque ad erudiendum aptius, quam Fidelibus repræſentare curam, quam habere debent ſibi ea parandi, quæ huic itineri ſunt neceſſaria, & non onerandi ſe iis, quæ ſunt inutilia? Sollicitudinem quam habere debent, perveniendi, quo tendunt, in Cælum nempe; periculum terrenis rebus adhærendi, qui ſunt obices, vel tergiverſationes, quæ illos remorantur in via; & tandem illis oſtendere pericula, & diſcrimina aberrandi, ac in præceps ruendi.

Hoc, Fideles, delegi argumentum, ut hodierna die vos alloquerer; quandoquidem hic unus eſt ex fructibus, quos Sanctus Paulus vult percipi a nobis ex Reſurrectionis Myſterio, & quos Chriſtianorum Paſcha, non ſecus ac illud legis antiquæ nobis repræſentat, vitam quam in terris ducimus non eſſe aliud, quam iter, ac tranſitum per quem ad patriam noſtram, quæ Cælum eſt pervenire poſſimus.

Homines in hoc Mundo eſſe inſtar viatorum nullibi certam, ſtatamque ſedem habentium, cogitatio eſt æque vetus ac Mundus: hic ſermo eſt Sanctorum Patriarcharum Legis antiquæ, qui non alio nomine dies vitæ ſuæ Gen. 47. nuncupabant, niſi dies ſuæ peregrinationis: *Dies peregrinationis meæ*. Hanc nobis ideam adſtruit Evangelium, cum loquitur de progreſſu noſtro, donec lucet dies, & Joann. 12. lumen nobis affulget: *ambulate dum lucem habetis*. In hoc denique ſtatu Mundi Salvator ſe ipſum conſideravit, quandiu vixit in terris, quamobrem cum de vita ſua verba facit, de illa, tamquam itinere ſibi faciendo Joann. 16. loquitur. *Exivi a Patre, & veni in Mundum, iterum relinquo Mundum, & vado ad Patrem*. Reliqui manſionem meam, ubi eram in ſinu Patris mei, tamquam in ſede gloriæ meæ, mearumque deliciarum; ut venirem inter vos tamquam alienigena non habens neque domum, neque agros, neque prædia, & modo illuc revertor, quandoquidem cucurri curſum meum, & abſolvi curriculum.

Itaque viatores ſumus per conditionem generis noſtri; nati enim in Mundo ſumus ut poſt aliquod tempus inde egrederemur; viatores ſumus per Chriſtianæ religionis profeſſionem, quæ nos jubet nuntium mittere vanitatibus Mundi, ubi non ſumus niſi per tranſennam, & cui cor noſtrum adhærere non debet: Viatores ſumus juſſu Dei, & propter finem, quem de nobis habuit, vitam impertiens; quandoquidem propter Cælum creavit nos, non autem ut quæreremus, & noſtram in terra felicitatem conſtitueremus. Quibus adjicere poſſum fontem, & cauſſam malorum, & criminum noſtrorum, inde tantum proficiſci, quia nobis non ſubit recordatio hujus ſtatus, & qualitatis; ſi enim ad illum animum adverteremus, non adeo indigne rebus vitæ hujus inhæreremus, ad Cæli adſpectum, pro quo creati ſumus, gemeremus in terra, & ſpem, ac vota ultra has temporis anguſtias extenderemus, & non niſi propter æternitatis acquiſitionem laboribus his frangi pateremur.

Cogitatio itaque, ut videtis, qua neque utiliorem, neque divino de nobis conſilio magis conformem induere poſſumus, eſt vitam tamquam iter, & quemdam veluti tranſitum reſpicere, & noſmetipſos conſiderare tamquam viatores ad beatum manſionis æternæ terminum anhelantes.

Ut in vobis, Fideles, cogitationem hanc cieam, voſque ad hanc tamquam vitæ veſtræ regulam aggrediendam cohorter, quidquid a viatore quæri poteſt ad duo capita redigo.

Primo eſt, ut ſemper ob oculos habeamus terminum itineris noſtri, & nunquam ex animis noſtris hæc recordatio elabatur; inde enim conſequemur, nulla re fieri poſſe ut huic Mundo adhæreamus, quod pleriſque hominibus accidit, qui locum exilii ſui, ſibi in patriam, manſionemque convertunt.

Alterum eſt veram ingredi viam, quæ ad beatum hunc terminum ducit; alioquin enim quo magis progrederemur, eo magis aberraremus, & nunquam ad propoſitum nobis finem perveniremus. Hæc ſunt duo hominis Chriſtiani officia in Cælum, viatoris inſtar anhelantis; & erunt partes duæ hujus ſermonis.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: BEATITUDO.

Nonne oportuit CHRISTUM *pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Luc. 24.

II. ARGUM. De paſſionibus ad Cæli gloriam promerendam neceſſariis.

Non immerito quæritur, Auditores lectiſſimi, quo in ſenſu intelligenda ſint hæc Salvatoris verba ex Evangelio, quæ dixit duobus Diſcipulis in caſtellum Emmaus proficiſcentibus; & undenam oriri poterat neceſſitas iſta patiendi adeo abſoluta, & inevitabilis ad gloriam promerendam, in cujus poſſeſſionem ingreſſus eſt per glorioſam Reſurrectionem ſuam: *Nonne oportuit* CHRISTUM *pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Si enim hæc gloria ad ipſum pertinebat jure nativitatis, & aliis titulis æquiſſimis, certiſſimiſque: quomodo dici poteſt hanc paſſionibus, ac laboribus ſuis promeruiſſe? Et ſi oportuit ipſum pati, ut eam mereretur, quomodo aſſeri poteſt, hanc illi debitam fuiſſe quatenus Supremo Cæli, terræque Domino? Hoc inde factum eſt, quod non ſolum illi glorioſius fuit gloriam hanc meritorum titulo obtinuiſſe, quam alioquovis jure, quod illius certam facere poterat poſſeſſionem; verum etiam, ut homines illius exemplo adducerentur ad acquirendum bonum, & gloriam, a qua exciderant per peccatum, & quam non poſſunt amplius mereri niſi per paſſionem, & cruces, quaſi innuere vellet, illos fruſtra aliam viam quærere in Cælum perveniendi, niſi quam ipſe etiam ingreſſus eſt, & nobis ſperandum non eſſe, conditionem membrorum æquiorem eſſe poſſe, quam capitis; ſed præter has rationes, quæ nobis eſſe poſſent totidem veluti argumenta ad ciendum amorem paſſionum, & ad eas hilari, magnoque animo ſubeundas, credidi nos validius animatum iri, ſi conſideraverimus unde illæ proficiſcantur; & quantum nobis afferant utilitatis. Mens igitur eſt hodierna die vos perſuadendi de duabus inſignibus veritatibus, quibus docebimur quo ſenſu illæ ſint recipiendæ, & utilitates, quas inde percepturi ſumus.

Prima eſt tribulationes, undequaque proficiſcantur, ſemper a Deo proficiſci, ideoque ſubmiſſe ab illius manu eſſe excipiendas.

Secundo per eas nos ad Deum revocari, cum ab illo receſſimus per ſcelus, & nequitiam, unde ſequitur earum valorem, & pretium nulla re poſſe exæquari. Hæc tota erit ſermonis partitio, qui futurus eſt omnibus documento, & ſolatio; neque enim eſt aliquis ad quem pertinere non poſſit.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum: TRIBULATIONES.

Mane nobiſcum Domine, quoniam adveſperaſcit. Luc. 24.

III. ARGUM. De Perſeverantia a nobis adhibenda, ut ſimus fideles.

Hæc ſunt verba, quæ Diſcipuli duo euntes in Emmaus dixerunt Filio Dei, qui reſurrexerat, & qui ſe illis ſocium adjecerat ſub forma, & habitu viatoris; Sed hæc eſſe debet Oratio a Chriſtifidelibus facienda eidem Salvatori, qui reſurrexit per gratiam in cordibus eorum. *Mane nobiſcum Domine*. Neque enim ſatis eſt, ipſum ad nos uſque veniſſe per noſtram horum dierum communionem; retinendus eſt etiam, & cogendus, ut nobiſcum permaneat; neque ſatis eſt recepiſſe vitam hanc pretioſam, atque divinam, ſed etiam conſervanda eſt, & parum prodeſſet reſurrexiſſe ex hac funeſta peccati morte, in qua eramus ſepulti, ſi ſecundo moreremur & reverteremur in ſtatum eumdem, unde evaſimus. Et profecto nonne videtur vobis, hæc verba non poſſe melius verſari, quam in ore plerorumque Fidelium temporis hujus: *quoniam adveſperaſcit, & inclinata eſt jam dies*. Quoniam magna illa dies, de qua heri loquebatur Eccleſia, jam adveſperaſcit; lumen gratiæ quod in illos effuderat, infirmum eſt, & fere extinctum, & peccati tenebræ diſſipatæ fulgore magnæ hujus diei, rurſum incumbere incipiunt. Nonne propterea Dei Filius occurrit duobus diſcipulis ſub imagine peregrini, ut intelligeremus illum ſæpe pertranſire tantum, quin immoretur in cordibus noſtris? Vix acceſſit, cum præterit; vix una die tantum ibi manet, & craſtina diſcedit, quapropter Sanctus Joannes Chryſoſtomus ait, adventum ejus inſtar potius viſitationis eſſe, quam permanſionis.

Cum, lectiſſimi Auditores, non primordium, ſed perſeverantia mereatur gloriam, cujus Filius Dei in hoc Reſurrectionis ſuæ Myſterio jus nobis comparavit, & illius adventus in animas noſtras parum proſit, niſi ibi permaneat; ſatis non ſit nobis illi aditum aperuiſſe, eumque recepiſſe; quoniam ejus permanſio nobis eſt omnino neceſſaria, orandus eſt, & obteſtandus cum Diſcipulis ſuis, ut ibi toto vitæ noſtræ ſpatio permaneat per gratiarum, favorumque ſuorum aſſiduitatem. De hac perſeverantia in gratia, & in bonis operibus hodierna die vos alloqui cupio, & vos cogam perquam accurate ſervare bonum, quod accepiſtis.

Tanta eſt humani cordis inconſtantia, ut ægre in eodem ſitu permaneat, cum Dei proprium ſit immutabilem eſſe, & aliquo modo communicare perfectionem hanc illis,

illis, quos replet, & regit; ideoque ſi quod in Mundo eſt indicium, ex quo liceat conjicere, nos agi, & animari Spiritu Dei, hoc ſane eſt perſeverantia. Virtutes omnes ſine hac nutantes, incertæque ſunt; quamobrem Sanctus Proſper Chriſtianos inconſtantes *Juſtos temporarios, & titubantes* appellat.

Quod ſi Mundus quantumvis mobilis, & inconſtans æquo animo ferre non poteſt hujus characteris homines; quomodo illos feret Deus, qui immutabilis eſt, eademque immutabilitas? Hac de cauſſa Salvator illos in Evangelio faſtidioſe repellit, & teſtatur illos aptos non eſſe, qui ſibi ſerviant, & qui regnum Cælorum poſſideant. Luc. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.*

Hoc autem malum inhæret noſtræ conditioni, quæ nos cogit, ut per quam diligenter theſaurum adeo pretioſum tueamur; quod ut vobis ſuadeam, nequaquam vobis ob oculos poſiturus ſum quam grave ſit malum in ſcelus relabi, quod alio in ſermone præſtituri ſumus; ſed vobis oſtenſurus neceſſitatem perſeverandi in felici ſtatu, in quo nos pœnitentia conſtituit, docendo

Primo hujus perſeverantiæ neceſſitatem,

Secundo, & quænam ſint ejuſdem acquirendæ rationes.

Pars altera nos ſuadebit, ut nihil inauſum, intentatumque relinquamus, ut in Dei fidelitate perſeveremus; altera vero docebit, quomodo Deo fideles fieri valeamus. Hæ duæ erunt ſermonis hujus partes, quæ moralem hoc tempore perutilem, & maxime neceſſariam complectuntur.

Vide in Tom. III. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: PERSEVERANTIA.

PRO FERIA TERTIA
POST DOMINICAM RESURRECTIONIS.

Venit JESUS, *& ſtetit in medio: & dicit eis, Pax vobis; & cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus.* Joan. 20.

I. ARGUM. De Vulneribus Domini N. J. C.

UT aſſequamur incomparabilem felicitatem, quam Salvator hominum hodierna die adfert Mundo nobis pacem largitus, id ſupponendum eſt, quod nemo in dubium vocat; Homines bellum gerere cum triplici genere hoſtium. Bellum inferunt Deo, illum criminibus ſuis laceſſendo: bellum ultro citroque inferunt ſibi mortalibus inimicitiis, quas invicem gerunt; & demum ſibimet ipſis bellum inferunt per tumultum, & rebellionem ſuarum cupiditatum. Nihil requiritur præterea ad id probandum, quam quod Sanctus Job ait: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*, quibus adjicere poſſumus, bellum hoc nobis ſemper eſſe funeſtum; ſi enim cum Deo geritur, hoc eſt habere inimicum Auctorem omnium bonorum, ideoque in caput noſtrum malorum omnium cumulum provocamus; bellum criminoſum eſt, fovere irreconciliabilem inimicitiam cum proximo; & denique bellum inteſtinum, & infinite periculoſum eſt, quod nobis inceſſanter inferunt incompoſiti affectus. Indigebant igitur homines valido Mediatore, qui eorum cum Deo pacem procuraret; gravi ratione qua cogerentur invicem in gratiam reverti, magnoque ſubſidio, ut ſeipſos defenderent adverſus cupiditates, quæ illis ſæviſſimum, & pertinaciſſimum bellum indicunt.

Hunc autem Mediatorem, eſſe dico Filium Dei qui a mortuis reſurrexit, & qui nobis pacem hanc tribus modis procurat. Nos enim reconciliat cum Juſtitia Patris ſui, & adhibet tot ora diſertiſſima locuturus pro nobis, nobiſque pacem æternam impetraturus. Ad hæc colligit in iiſdem vulneribus ſuis ſpiritus acidos, & iracundos, quos adverſum ſe homines mutuo fovent, & demum ſarcit amicitiam, efficiendo, ut in his vulneribus inveniamus auxilium neceſſarium in periculis tentationum. Vel ſi mavultis, ut hoc ipſum magis intelligibile fiat, aſſignemus unicuique ex hiſce plagis in hac pacis meditatione officium ſuum; & conſideremus

Primo plagas manuum tamquam hujus pacis pignora, quandoquidem attollit eas propter amorem noſtrum perforatas, ut flectat, & mulceat iram Patris ſui.

Secundo plagas lateris tamquam vinculum, nodumque pacis cum proximo, quandoquidem teſtatur Apoſtolus Dei Filium nos in ſuo corde conjungere.

Tertio tandem ad pedum plagas confugiamus tamquam ad aſylum paucis pro nobiſmet ipſis in omnibus incurſibus dæmonis, aliorumque ſalutis noſtræ inimicorum. Hæc eſt partitio ſermonis hujus, quæ profecto aliquid Myſticum continet; ſed ſpero non ideo minus ſolidam, & ad eruditionem, utilitatemque veſtram futuram, ubi velitis attentius me verba facientem audire.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Mor. Evangel. Titulum: PAX, *nec non in Tomo II. Bibliothecæ Myſt. Theol. Titulum:* VULNERA.

Stetit JESUS *in medio diſcipulorum, & dixit eis: pax vobis.* Luc. 24.

II. ARGUM. De Pace Cordis.

Satis cognoſci nequit, Auditores, Magnitudo boni, quod Deus hominibus procuravit, illis pacem annuntians; niſi primum conſtet quid ſit iſta pax, & in quo ſita ſit, & mihimet perſuadeo, ubi ſemel cognoverimus pretium, meritumque illius, neminem futurum, qui non omnes exerat conatus ſuos ad illam, & acquirendam, & conſervandam. Hæc igitur pax adeo pretioſa, quam univerſus terrarum orbis perquirit, & quam pauciſſimi inveniunt, Hæc pax, quæ uti Sanctus Paulus aſſerit, ſenſum omnem, & cogitationem excedit; & quæ ex Sancti Auguſtini ſententia, illud eſt ex omnibus Mundi bonis, quod impenſius optatur, & cujus dulcedo avidius guſtatur, non aliud eſt, quam tranquillitas ordinis. *Pax eſt tranquillitas ordinis*, videlicet ſecundum Divi Thomæ explicationem ad illam acquirendam requiritur, ut omnes animæ noſtræ motus ſint in ſuavi, perfectaque requie, ita ut cor noſtrum nullo affectuum tumultu agitatum malacia, & tranquillitate perfruatur.

Hic, dicitur, effectus eſt ordinis, quia ubi omnia ſunt in naturali ſitu; debitoque loco, neceſſe eſt ibi pacem inveniri; ſicuti e contra tumultus, & agitatio ex inordinato rerum ſitu proficiſcuntur. Hinc plerumque pax triplici modo conſideratur ſecundum tres rationes, quas voluntas habere poteſt cum tribus diverſis objectis: nam cum perfecte ſubjacet voluntati Dei per diligentem, integramque Legum illius obſervantiam, pacem habet cum Deo; cum hæc voluntas conſentit cum proximi voluntate, pax cum illo ſervatur ſine ullo diſſidio, & diſcordia; & demum cum illa cum ſemetipſa conſentit continens in ordine, & officio ſuas cupiditates per conſenſionem perfectam appetitus, & voluntatis, fruitur pace cordis, de qua potiſſimum loquor, veluti illa, quæ oritur ex aliis duabus, quas complectitur, & quæ in nobis conſtituit beatam hanc diſpoſitionem, quam Sancti appellant ſpiritus ſeveritatem, tranquillitatem animæ, requiem cordis, verumque gaudium, ſine qua nulla eſſe poteſt in vita voluptas, & oblectatio.

Ut autem acquiratis, atque integram ſervetis hanc pacem, quam Dei Filius hodierna luce exhibet vobis, oſtendam

Primo hoc pretioſiſſimum eſſe bonorum omnium, quæ in hac vita poſſidere valeamus.

Secundo, Facillimam eſſe pretioſi hujus boni jacturam. Quorum alterum nobis oſtendet magnitudinem & utilitatem boni, quod poſſidemus pacem poſſidentes; Alterum vero docebit quanam cura bonum hoc ſervandum ſit. Hæc erit ſermonis partitio.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum: PAX.

Stetit JESUS *in medio Diſcipulorum, & dixit eis; pax vobis, videte manus mea, & pedes.* Luc. 24.

III. ARGUM. De Recidiva in peccatum.

Quæſtio inter Theologos agitur, utrum virtus pœnitentiæ ſit pars juſtitiæ, per quam peccator adnititur reparare injuriam, quam per peccatum Deus paſſus eſt; an ſit tantum pax, & ſincera gratiæ reconciliatio, quæ ſit cum divina hac Majeſtate, quæ peccata noſtra dimittit, & quæ nos recipit in amicitiam. Utram in propoſita quæſtione partem aggredi, parum intereſt quoad meritum pœnitentiæ: quandoquidem alterum ex altero ſequitur neceſſario; illud vero quod futurum eſt noſtri ſermonis argumentum, & de quo plurimum refert nobis eſſe perſuaſum, eſt perfractionem hujus pacis, quæ ſit nova patrando crimina poſt reconciliationem, & pœnitentiam ſancto hoc tempore peractam; perfractionem hanc inquam fidem adſtruere, priorem pacem non fuiſſe ſinceram, & juſtum præbere locum timori, ne pax, quæ ſubſecutura eſt, magis futura ſit ſolida, & conſtans. Hæ duæ veritates Sermonis hujus noſtri partitionem conſtituent, ut diligentiſſime caveamus, ne ſecundo bellum inferamus Deo, & per recidivam frangamus pacem, quam ille nobis per Sanguinem ſuum meritus eſt.

Prima eſt, ſuſpicione vacuam non eſſe reconciliationem, & pacem, quam cum ipſo per præteritam pœnitentiam compoſuimus.

Altera eſt, videri, peccatorem crebro relabentem nunquam ſincerius in gratiam reverſurum, & propterea futurum, ut ſecundum ſpecies omnes vivat, & moriatur inimicus Deo.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum: RECIDIVA.

PRO DOMINICA IN ALBIS.

Venit Jesus, *& ſtetit in medio, & dixit eis, Pax vobis.* Joann. 20.

I. Argum. De fallaci pace quæ fit per fallacem conſcientiam.

Sinite, Fideles, me tempore, quo Mundi Salvator venit veram daturus pacem juſtis, & hominibus bonæ voluntatis, quemadmodum illam ab ipſa Nativitate ſua prænuntiavit; ſinite inquam me hodierna die perturbare fallacem peccatorum pacem, illis ob oculos exhibendo pericula, quibus ſunt obnoxii per fallacem hanc pacem, per quam miſera perfruuntur requie in criminibus ſuis, ne ſe præbeant indignos beneficio, quod Salvator reſurgens hodierna die omnibus offert hominibus.

Si enim in conſcientiæ tranquillitate pax iſta conſiſtit, & ſine hac tantum abeſt quod ſolida voluptas guſtetur, ut immo ſexcentis ſollicitudinibus perturbemur, & agitemur curis, quibus Mundi gaudia excipi conſueverant, non ne dicendum eſt pacem fallacem, quæ veram imitatur, in tranquillitate, qua anima fruitur aliquando, non niſi a fallaci conſcientia proficiſci poſſe, quæ eſt in illuſione, & quæ non cognoſcit calamitatem ſuam; vel potius, quæ eam cognoſcere non vult, ut commentitia perfruatur innocentia, & in pacifica paſſione miſeræ quietis permaneat? Quamobrem quidam Sanctus Pater dixit, quamvis pax conſcientiæ ſit portio legitima bonorum, hanc nihilominus ab impiis uſurpari: quippe ad pacem hanc pervenitur, aut per diutinam virtutis exercitationem, aut per ſcelera crebro repetita; & ut omnia verbo complectar, hæc ſecuritas, & requies effectus eſt magnæ vel Sanctitatis, vel nequitiæ: *Securitatem non facit niſi aut magna perverſio, aut magna perfectio; non enim valent ſecuritatem conſcientiæ habere, niſi aut valde boni, aut valde mali.* (Richard. a S. Vict.)

Quapropter ad deturbandos hodie peccatores de poſſeſſione boni, quod ad illos non pertinet, illis oſtendam,

Primo, cum vera pax, quæ oritur ex conſcientia bona, ſit merces quam Deus in hac vita ipſa largitur bonis hominibus tamquam pignus futuræ felicitatis in altera; E contra fallacem hanc pacem terribilem eſſe effectum divinæ iracundiæ, præſagium æternæ infelicitatis impiorum, & periculoſiſſimum ſtatum, ad quem illi in hac vita redigi valeant.

Secundo facile, & uſitatum eſſe ſibi fallacem conſcientiam concinnare, ut fallaci pace fruantur; quæ hujus ſermonis erit diviſio.

Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum: Conscientiæ, *ubi etiam de mala verba ſiunt.*

Venit Jesus, *& ſtetit in medio, & dixit eis, Pax vobis.* Joann. 20.

II. Argum. De pacis, quam nobis dat J. C. præſtantia, præ illa, quam mundus peccatoribus pollicetur.

Non immerito, lectiſſimi Auditores, Dei Filius Apoſtolis ſuis pollicitus, & largitus pacem cum adhuc inter eos verſaretur, adjecit, pacem, quam illis relinquebat aliam eſſe prorſus ab ea, quam Mundus dare conſueverat: *Non quomodo Mundus dat, ego do vobis.* Ecce autem diſcrimen illud, quod nos deprehendere poſſumus in pace, quam Mundus, & quam nobis Jesus Christus impertit.

Primo, Pax Mundi in ſpeciem datur dumtaxat, fallax eſt, & ſæpe tegitur quodam ſæviſſimarum agitationum velamento, & demum exterior tantum eſt, & ad cor uſque non penetrat. Hinc gaudium, quod parit, hæret in ſuperficie; ſed pax, quam Salvator dat, ſolida eſt, penetrat in animæ penetralia, & in omnibus facultatibus ejus tranquillitatem conſtituit.

Secundo, Pax, quam Mundus dat perfunctoria eſt, & brevi duratura. Quidquid vel minimum accidit contra ſpem: minimum quodlibet infortunium hanc pacem perturbat: pax vero, quam nobis Jesus Christus largitur, non niſi volentibus eripi poteſt; non caſu aliquo, non ærumna, non creatarum rerum nequitia; quandoquidem Mundo minime obnoxia eſt.

Tertio, Pax quam tribuit Dei Filius cum ſit effectus gratiæ fructus virtutis, & innocentiæ, imago eſt, ſpecimen, & quædam prægustatio vitæ alterius; dum e contra illa, quam Mundus impertit, cum a ſcelere, & cordis nequitia proficiſcatur, pro fine non niſi æternum habet ſupplicium.

Vide Titulum eumdem Pax.

Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti; beati qui non viderunt, & crediderunt. Joan. 10.

III. Argum. De infidelitate S. Thomæ, & plerorumque, qui nolunt credere niſi quod vident.

Ex illa exprobratione, qua Mundi Salvator Divum Thomam coram aliis Apoſtolis redarguit, & cui ſuas plagas oſtendit, duo haurimus. Primum eſt cæcitas eorum, qui nolunt credere, niſi quod vident, & qui non niſi apertiſſimis Veritatibus fidem habere volunt; Alterum eſt eorum felicitas, qui credunt, quin viderint prodigia, & qui ſuas ſubjiciunt mentes verbo Dei, ſibi ſufficienter revelato.

Primo, quod pertinet ad primorum cæcitatem, graviſſima eſt audacia, & imprudentia quærere a Deo probationes veritatum, quas revelavit, ſive per recentia miracula, ſicut fecit Sanctus Thomas, *niſi videro non credam*, ſive per alias rationes, quas nequeunt in dubitationem vocare. Fidem evertere eſt, exigere ſenſuum noſtrorum perſuaſionem. Omnes enim hoc ſibi jus depoſcerent, & ſimilia peterent miracula in confirmationem earum rerum, quas credere jubentur; & quod pro miraculo habetur, non eſſet amplius tale, ex quo fieret uſitatum, & ſi faciendum eſſet ſatis curioſitati ſingulorum, jam actum eſſet.

Secundo terribilis eſt pertinacia velle ſemper in errore, & criminoſa dubitatione permanere. Probationes Dominicæ Reſurrectionis tunc publicæ erant, manifeſtæ, certiſſimæque. Hodierna vero dies tales amplius non erunt, quia non deſunt nonnulli improbi, & irreligioſi, qui illas impugnant? Quid credi poſſet in vita, ſi ambigitur de iis, quæ tot teſtes, adeo illuminati, adeo ſancti, atque irreprehenſibiles, quorum non intererat nobis os ſublinire, & quorum vel maxime intererat, non pati ſibi fucum fieri; de iis inquam, quæ illi tanta cum firmitate crediderunt, atque tanta cum animi conſtantia ſuſtinuerunt? Quid ergo, numquid dicetur duodenarium mortalium numerum acceſſiſſe ad evertenda omnia ſapientiæ Mundi fundameta, & effeciſſe, ut Religionem Mundus mutaret? Hoc fecerunt tamen; at dubio procul, non ſine maxima difficultate. Etenim putatiſne tot viros tanto lumine, tantaque ſcientia præditos citra pugnam victas manus dediſſe? Non ita profecto. Pugnarunt, repugnarunt, acriter reſtiterunt, inanium viſorum fictores inſanoſque vocarunt eos, a quibus veritates hujuſmodi nuntibantur, ad rationem, rectumque ſenſum ſummorum virorum antiquitatis provocarunt; ſed poſt hæc manus victas dederunt, & vi veritatis cedere debuerunt.

Tertio ſuperbia eſt non ferenda præferre judicium ſuum judicio Sanctorum Patrum, Doctorum, & eorum qui in terris ſummam ingenii laudem adepti ſunt: ita dubitare de fide, vitiligare, jurgari, non eſt amplius fortitudo, pertinacia eſt ſpiritus deerrantis, quæ meretur, ut Deus illam derelinquat tenebris ſuæ cæcitatis.

Alterum illud, quod docemur, eſt eorum beatitudo, qui credunt abſque eo quod viderint prodigia; ſed credunt verbo Dei per oraculum Scripturarum expreſſo, vel per Eccleſiæ auctoritatem revelato, citra oculorum, ſenſuumque ſuorum teſtimonium: *beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Primum hæc felicitas in eo ſita eſt, quod fides eorum eſt acceptior Deo, & quia integrius, perfectiuſque illi offerunt ſacrificium. Secundo, quia magis merentur pro vi, quam ſibi inferunt ſeſe ſubjicientes.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: Fides.

PRO SECUNDA DOMINICA POST PASCHA.

Ego ſum Paſtor bonus, cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. Joann. 10.

I. Argum. De Prædeſtinationis Myſterio.

Dei Filius, Auditores, qui boni Paſtoris nomen ſibi vendicavit, ad innuendam curam, quam de omnibus hominibus ſuſcipere dignatus eſt, & infinitam caritatem, quam habet erga illos, in hodierno Evangelio reſpicit Electos ſuos, tamquam oves gregem ſuum componentes. Sicuti hinc quidem ad unguem perfunctus eſt omnibus tituli hujus muneribus, quandoquidem ipſe teſtatur, ſe cognoſcere oves ſuas, illas alere, & ſe ad illas tuendas vitam ipſam periculo objicere; ita inde nos docet, quænam eſſe debeat eorum fidelitas, qui ſunt oves ſuæ; ut videlicet audiant voces ejus, fideliter obediant, & illum quocumque ſequantur, quin a via illis connotata ne tranſverſum quidem unguem aberrent. *Ego ſum Paſtor bonus, cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Ita noſtrum Evangelium hodierna die nobis evolvit magnum humanæ prædeſtinationis Myſterium, fuſius explicans rationem, quam & ipſe Paſtor ſequitur, & nos quoque ſequi debemus, ut conſiliis obſequamur ſuis, & ſalvemur.

Hoc præſuppoſito dico miram eſſe humani ſpiritus moroſitatem, ubi agitur de prædeſtinatione; quoniam undique timet, ubi nihil timendum eſt, & ubi etiam ſperandi nobis ſuppetit cauſſa; & e contra ſe in tuto eſſe putat,

tat, ubi eſt trepidandum, vel ſaltem ubi nobis diligentiſſime præcavendum eſt.

Primo nihil metuendum eſt a Deo, qui nihil prætermiſit eorum quæ ad ſalutem noſtram erant neceſſaria.

Secundo videbimus omnia a nobiſmetipſis eſſe timenda; quod nos vigilare cogit, & iis uti mediis, quæ nobis tribuit, ut re ipſa ſalvemur.

Ita, Auditores, ut ſalutaris fiat metus, quem nobis injicit cogitatio Myſterii adeo formidabilis, oportet mutare ſolum cauſſam, & objectum. Quin nos terreant Judicia Dei, quæ intelligere non valemus, illius curæ noſmet tradamus, & in bonitate illius confidamus, & depoſita temeraria præſumptione, quæ efficit, ut ſecuri vivamus tot inter laqueos, & ſalutis noſtræ inimicos; noſmetipſos vereamur. Hoc erit hujus ſermonis argumentum, & partitio.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: Prædestinatio.

Ego ſum Paſtor bonus, cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ. Joann. 10.

II. Argum. De cura, & zelo ſalutis proximi.

Non eſt, cur miremur, Fideles Jesum Christum in Evangelio Paſtoris nomen aſſumere; quandoquidem hoc nomen optime exprimit officium quod exercuit in terra, & infinitam caritatem, quam pro hominibus habet in Cælo. Hic eſt Paſtor bonus, qui cognoſcit oves ſuas, & eas ſua regit Providentia; ita ut ne unus quidem ex prædeſtinatis ab illo rapiatur illi. *Et nemo rapit oves de manu mea.* Ipſe eas paſcit non ſolum pane, Angelorum manu ſubacto, ſed Angelorum ipſorum eſca, ſuo videlicet Corpore, & Sanguine: & denique illas adeo vigili cura tuetur, ut jure dici poſſit, in hoc uno Paſtoris nomine alios omnes contineri titulos, qui ardentem illius erga homines caritatem oſtendunt.

Sed credite, Auditores, nullum eſſe nomen, quod Deus libentius hominibus communicaverit, & cujus plures participes ſint, quam nomen illud Paſtoris. Hunc in lege veteri impertiit Regibus, & Principibus, imprimens illis characterem auctoritatis in populos, quos ovium inſtar deducere debent, ac tueri. Salvator illud Apoſtolis ſuis, eorumque Succeſſoribus communicavit, qui invigilare tenentur ſaluti animarum ſibi creditarum, & quorum rationem coram Deo ſunt reddituri. Nonnulli Sancti Patres hoc etiam intelligunt de Patribus familias, qui habendi ſunt tamquam Paſtores in domo ſua; & alii denique hoc nomen tribuunt omnibus fidelibus, qui ſinguli aliorum ſaluti mutuo conferre aliquid debent, per zelum ſalutis eorum juxta illud Spiritus ſancti effatum: *Mandavit unicuique de proximo ſuo.* (Eccleſ. 17.)

In hoc immorari hodierna die fert animus, ut vobis ſuadeam, nullum non movendum eſſe lapidem, ut prohibeamus fratrum noſtrorum perniciem, & curas omnes impendamus, ut eos ab omnibus vitiis avertamus; verbo dicam, ut noſmet excitemus ad efficiendum, ut conſiliis, hortationibus, correctionibus, & potiſſimum vero exemplis acti cogitent de ſalute ſua.

Poſita igitur hac obligatione omnibus quidem generatim communi, ſinguli autem in particulari ſecundum cujuſcumque ſtatum, conditionem, & vires, habita ratione talentorum, quibus quiſque a Deo donatus eſt; fert animus, ut vos impellam ad perfungendum hoc munere ubi veſtra ſalus agitur, non ſecus ac proximi veſtri, vobis exhibere

Primum rationes, quæ mihi validiores videntur ad inflammandum hunc zelum fere prorſus extinctum in pleriſque Fidelium.

Secundo verba facere de qualitatibus, & conditionibus, quas zelus iſte habere debet, ut ſatisfiat huic officio quod æquiſſimum eſt, & maxime neceſſarium, Quæ erit ſermonis partitio.

Ego ſum Paſtor bonus. Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis. Joann. 10.

III. Argum. De officiis Præſulum, aliorumque Paſtorum Eccleſiæ.

Non ſufficit Jesu Christo aſſumere ſibi hoc amabile Paſtoris nomen, verum proponit etiam nobis ideam boni Paſtoris, & oſtendit ſe illam ad unguem explevisſe, & jure optimo dixiſſe: *Ego ſum Paſtor bonus.* Paſtor ille eſt, qui ponit animam ſuam pro ovibus ſuis, qui vigilat, ut eas tueatur, qui oves ſuas cognoſcit, qui ambulat ante illas ad oſtendendam viam, qui ubi deerraverint, in ovile reducit; verbo, qui nunquam illas derelinquit. At egregie hoc Jesus Christus peregit: hoc ille teſtatur: Ego cognoſco oves meas; illas tueor, *& animam meam pono pro ovibus meis.*

Satis intelligitis, Auditores, imaginem hanc, quam Jesus Christus nobis in Evangelio proponit præſertim convenire Præſulibus, & iis, quibus contulit Deus in Eccleſia ſua ſpiritualem poteſtatem. Jesus Christus eſt Paſtor bonus. Nam aliis utar rationibus, ut probem hunc titulum ipſi deberi, niſi iis, quas ille in noſtro protulit Evangelio.

Primo eſt Paſtor bonus, quia eo uſque ſuas oves amat, ut ponat pro illis animam ſuam.

Secundo, invigilat earum ſecuritati, & nunquam eas derelinquit.

Tertio quærit oves, quæ deerraverunt, & nihil intentatum relinquit modo illas cogat in paſcua.

Paſtores Jesu Christi locum tenentes, ejus exemplum ſecuti diligere debent gregem ſuum, quantum ipſe dilexit, omnia, quæcumque poſſunt, illi procurare bona, & viam ſternere in Cælum tum bonis exemplis, tum doctrinis, & ſalutaribus monitis. Debent, ut ille, ovium ſuarum invigilare ſecuritati; earum vitæ rationem regere, moreſque componere. Cavere debent, ne quando a recto tramite aberrent, & ſe trahi pernicioſis Mundi placitis, patiantur. Verbo, nunquam ab illis oculos amovere, eaſque debet tueri, ſi quid moleſti illis accidat. Etenim, ut Sanctus Petrus inquit: *Adverſarius veſter diabolus circuit quærens quem devoret:* (1. Petr. 5.) Dæmon infeſtiſſimus hoſtis circuit, & quærit inceſſanter aliquem veſtrum, quem rapiat, mactet, & occidat. Paſtores denique omnes curas ſuas, ac ſollicitudines debent impendere, ut quærant oves, quæ deerraverunt, & ambulant in tenebris peccati. Ante illas currere debent, ubi aufugiunt; & nihil inauſum, intentatumque relinquere, ut eas in Domini ſepta reducat; videlicet efficere, ut pietatem amplectantur, & rebus in omnibus earum ſanctificationi conſulere. Hæ tres ſunt circumſtantiæ, quæ paucis ſermonis hujus partitionem indigitant.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum; Zelus, *& in To. II. Titulum:* Ecclesiasticus.

PRO TERTIA DOMINICA POST PASCHA.

Amen, Amen dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Joann. 16.

I. Argum. De proſperitate impiorum.

Dissimilis iſta diviſio, quam facit Dei Filius in Evangelio, bonorum, malorumque hujus vitæ, non ne videtur abnormis, Auditores lectiſſimi? Hæc ex quorumdam Patrum ſententia ſpecies eſt Teſtamenti, quod facere placuit Salvatori antequam ex hac excederet vita; ſed ſæculi prudentia, quæ cenſoriam notam affigit, mandatis æternæ Sapientiæ illis adverſatur. Numquid, ait, in hac diviſione rite Juſtitiæ leges ſervantur? Juſtis ærumnas, & lacrymas legare, impiis vero gaudia, & conſolationem? Proſperitatem filiis tenebrarum, & Filiis lucis adverſitates & infortunia; mundanis requiem, tranquillitatem, ſuorumque votorum cumulum, Sanctis vero labores, & perſecutiones?

Cæca mundi Sapientia damnat partitionem adeo inæqualem, quæ ſibi videtur injuſta. Viri boni nonnunquam conqueruntur cum Rege Propheta: *mei autem pene moti ſunt pedes pacem peccatorum videns;* Imbecilles, parumque ſtabiles in virtute ſcandalizantur, & muſſitant; impii vero ſua ſorte contenti lætantur eo ſtatu, quem ſibi delegerunt, præferentes Mundo potius ſervire, quam Deo, qui non niſi Cruces, & tribulationes ſuis polliceri videtur. Cæca ſæculi prudentia, quam parum Dei vias noſti? Quam parvo in diſcrimine vera, falſaque bona! & ignoras, quid melius ad veram deducat felicitatem!

Nolo, Auditores, divinæ Providentiæ conſilia ſcrutari in diſſimili hac agendi ratione, qua utitur illa erga fideles famulos, & infeſtiſſimos hoſtes: ſolum ubi alio in ſermone juſtis oſtenderim partem ipſorum eſſe præſtantiorem, ac ſignum paternæ curæ, hodierna die duplicem errorem auferre conabor eorum, quibus favet fortuna, & qui conſtanti proſperitate perfruuntur, quin aliqua interpelletur adverſitate.

Primus eſt, quod ſe beatos putant, quorum etiam beatitudini invidetur, cum interim nemo ſit magis deplorandus, neque in apertiori æternæ ſuæ calamitatis periculo verſetur.

Alter eſt, quod bona quibus fruuntur, habentur tamquam Dei benedictiones ſuper illos, & tamquam pignora peculiaris benevolentiæ, cum e contra nullum ſit apertius indicium divinæ iracundiæ; ideoque nullus reprobationis character melius connotatus, quam proſperitas impiorum. Duæ veritates oppoſitæ duobus erroribus, quos impugnandos aggredior ſolidiſſimis rationibus, & conſtantiſſimis Chriſtianiſmi ſententiis, quas in duabus Sermonis hujus partibus oſtenſurus ſum.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Mor. Evangel. Titulum: Prosperitas justorum, et impiorum.

Gau-

Gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis. Joann. 10.

II. ARGUM. Diſcrimen inter Dei, & Mundi gaudium.

JESUS CHRISTUS in Evangelio de duplici Gaudiorum genere procul diſſimilium verba facit, de gaudio Mundi, videlicet gaudio inani, profano, criminoſo, quæ pars eſt reproborum; *Mundus autem gaudebit*; & de Dei gaudio, quod purum eſt, ſanctum, & pars electorum; *gaudebit cor veſtrum.*

Principium lætitiæ peccatorum vanitas eſt, vel iniquitas: vanitas, quia hæc lætitia non eſt ſolida, & Salomone teſte, qui illam fuerat expertus, fallax eſt lætitia, & inſania mera. Eccleſ. 2. *Riſum reputavi errorem; & dixi gaudio, quid fruſtra deciperis?* Iniquitas etiam ſæpe fons eſt gaudii impiorum; nam ſicut Spiritus ſanctus ait, Prov. 2. *lætantur impii cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis.*

Fons gaudii Juſtorum eſt Spiritus ſanctus, qui a Sancto Paulo vocatur 2. Cor. *Deus totius conſolationis*; & unus ex præcipuis fructibus ejus eſt vera lætitia. Galat. 9. *Fructus Spiritus eſt caritas, & gaudium.*

Gaudium peccatorum breve eſt, quia totum continetur in puncto, in momento; Job 20. *gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Gaudium vero Juſtorum permanens, atque æternum, ſi enim velimus, illud nemo nobis eripere poteſt. Joann. 10. *Gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.*

Ad lenienda ea verba, quæ dicit in Evangelio JESUS CHRISTUS bonorum, pravorumque portionem inſtituens, *plorabitis, & flebitis vos, Mundus autem gaudebit*, oſtendere volo

Primo inter has lacrymas, exterioreſque cruces, bonos ſolidas invenire voluptates; & neminem beatiorem eſſe ſervientibus Deo.

Secundo cum Deus nos evocat ad ſerviendum ſibi, nos appellare ad animæ oblectamentum, & pacem cordis; *gaudebit cor veſtrum.* Ut duplicem hanc veritatem conſolatione plenam feramus in lucem, inde totam ſermonis partitionem efficiemus.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum: SERVITUS DEI.

Modicum, & videbitis me &c. Mundus gaudebit, vos vero contriſtabimini. Joann. 10.

III. ARGUM. De Tribulationibus.

Duo iſti loci ex eodem Evangelio deſumpti nullum inter ſe nexum, vel rationem habere videntur; cum Salvator per illos nuntiare voluerit Apoſtolis ſuis duo ſimul prorſus diverſa. Eorum autem, quæ fieri poteſt conciliatio, nobis præbere poteſt juſti ſermonis diviſionem; oſtendendo quidquid in hac vita vel patimur, vel pati poſſimus, modicum eſſe habita ratione

Primo eorum malorum, quæ pati mereremur ad expianda peccata a nobis patrata. Infernum, æternamque pœnam meriti ſumus, quam Deus nobis noſtra condonans crimina ſolum in tempoream convertit. Hanc ille gratiam largitus eſt, & nobiſcum hac uti dignatus eſt miſericordia. Facile eſt autem oſtendere, quidquid in hac vita pati poſſumus ſatisfacturi juſtitiæ Dei adeo crudeliter læſi, ſemper eſſe modicum, ubi cum meritis noſtris comparetur: *Modicum.*

Secundo, Modicum quoque eſt ratione eorum, quæ pro nobis paſſus eſt Deus, & quæ optare debemus pati, ut efficiamur ſimiles illi; unde oritur, Fideli ſemper ferendam eſſe crucem ſuam, neque ab ea perferenda niſi cum vita ceſſandum. Sancti Patres ſexcenta dixerunt in hoc argumento præſtantiſſima, & late aperitur campus differendi de ſimilitudine, quam in hac re Fidelis habere debet cum Deo.

Tertio, Modicum tandem eſt ratione gloriæ, quam præſtolamur, & quam paſſionibus noſtris poſſumus promereri. 2. ad Cor. *Momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Hic fundus eſt, & fons meritorum pro nobis; & deinde gloriæ cauſſa. Quomodo vero poſſumus non proficere ex tot occaſionibus, quæ nobis objiciuntur Cælum promerendi?

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moralis Evang. Titulum: TRIBULATIONES.

Modicum, & videbitis &c. Mundus gaudebit, vos vero contriſtabimini. Joann. 10.

IV. ARGUM. Tribulationes ſunt certa prædeſtinationis indicia.

Tribulationes ſunt certiſſimum, quod haberi poſſit in hac vita prædeſtinationis indicium. Namque ut Sanctus Paulus ait: *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui. Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, quos vocavit hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, illos & glorificavit.*

Primo quod operatur Deus cum illis, quos prædeſtinavit, eſt illos vocare, ut ſibi deſerviant; & hoc obtinet per tribulationes, quibus ab erroribus noſtris avocamur, & quæ nos Dei ſervituti ſubjiciunt.

Alterum eſt nos juſtificare, & ſanctificare, quod præſtat modo prorſus peculiari per tribulationes, quæ nos emundant, & conferunt ad perfectionem noſtram.

Tertio denique illis gloriam largitur, quæ eo major erit, quo majora propter Deum in vita hac perpeſſi fuerimus.

Vide Titulum, quem ſuperius memoravimus.

PRO DOMINICA QUARTA
POST PASCHA.

Cum venerit Paracletus, arguet Mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio. Joann. 16.

I. ARGUM. De peccato omiſſionis.

QUODNAM, amabo vos, Auditores, eſt peccatum illud de quo Spiritus ſanctus accuſaturus eſt Mundum, & propter quod mundus ſeveriori indagine judicandus eſt, & ſine ulla remiſſione damnandus? Equidem fateor paucos eſſe Scripturæ locos, quos explicaturi Patres abeunt in diverſa, & in quibus difficilius conſentiant. Eadem verba, quæ adjicit Filius Dei, cum ſint Myſteriis referta, quin faciliorem præbeant explicationem, veritatem celare videntur, & nobis recens negotium faceſſere. Tamen maximi eſt momenti id cognoſcere. Joann. 16. *Arguet Mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio.* Quid enim hæc ſibi vult juſtitia, cui omnia exprobrabit? Et quid ſignificat hoc judicium, quod hunc Mundum ipſum ita noxium conſtituit, ut accuſari mereatur? Quodnam igitur hoc judicium eſt, ad quod reformandum Spiritus ſanctus adveniet? Omnes equidem explicationes, quæ horum verborum a Doctoribus fiunt, probo; omneſque morales veritates, quas inde Concionatores haurire conſueverunt; ſed per vos mihi liceat recentem adjicere explicationem, quæ non minus utilis eſt futura, & quæ locum mihi tribuit diſſerendi de argumento, de quo fortaſſe neminem loquentem audiiſtis, cum nihilominus ſit in paucis neceſſarium. Æquo animo ſinite, me tot interpretationibus hujus loci recentem adjicere, & quin Evangelii ſenſum detorqueam, vos moneam, ut evitetis damnationem peccati, cujus longe plures rei ſunt, quamvis pauci animum advertant, & quod proinde cauſſa eſt damnationis plurimorum, & eorum etiam, qui ſe ab omni culpa abeſſe arbitrantur.

Vos quidem non diſſentietis a me, ubi dixero vobis, me loqui velle de peccato omiſſionis. Opus eſt, ut Spiritus ſanctus de hoc nos arguat; etenim ſine luminibus ejus cognoſcere non valemus eos defectus, quos in officiis noſtris maximi momenti committimus. *Arguet Mundum de peccato.* Opus eſt, ut ille nos docet, deficere juſtitiam illam, quæ omnia munera ſua minime adimplet, *Arguet Mundum de juſtitia.* Denique opus eſt ut corrigat judicium noſtrum de rebus illis, quas ſæpe leves eſſe putamus; ſed quæ infinite nos coram Deo nocentes conſtituunt.

De hujuſmodi peccatis omiſſionis verba facere fert animus; quamobrem totum Sermonem hunc ad duplicem redigo veritatem, quæ illius partitionem conſtituet.

Prima Veritas eſt, peccata omiſſionis eſſe illa, in quæ plerique labuntur, & proinde illa, quæ ſunt cauſſa interitus, & damnationis plurimarum animarum; eo quod facilius patrantur, minus caute, & multifariam; quod erit punctum primum.

Veritas altera; Peccatum hoc, quod adeo facile committitur, tamen difficillime corrigi, & quamvis leviſſimum exiſtimetur, illud eſſe tamen, quod infrequentius a Deo condonatur, & quod ſeveriori trutina ad examen vocabitur. Hoc peculiarem flagitat attentionem.

Vide In Tomo III. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: PECCATUM MORTALE.

Cum venerit Paracletus, arguet Mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. Joann. 16.

II. ARGUM. De Modica Fide quæ eſt in Mundo.

Verum eſt, Fideles, non deeſſe peccata quædam, quæ ſunt adverſus Spiritum ſanctum, & quæ neque in vita hac, neque in altera dimittuntur, cujuſmodi eſt ſalutis noſtræ deſperatio, & voluntaria in morte impœnitentia; ſed non hæc ſola ſunt, de quibus ille Mundum redarguit: quoniam pauci ſunt, qui ad hunc impietatis exceſſum perveniant; neque redarguet ſingulorum fallacem juſtitiam, hoc eſt hypocriſim, & inanem probitatis ſpeciem, quæ fucum fecerit oculis aliorum; neque judicia, vel injuſta de aliis facta, vel minus æqua per ſecretam ſuperbiam facta de ſe. Quodnam ergo eſt hoc ita latentis peccati genus? Hoc ægre conjectando aſſequeremur, niſi Deus ipſe illud nobis aperuiſſet: *De peccato quidem, quia non credidiſtis in me.* Modica eſt fides, quam homines præ ſe tulerunt veritatibus, quas illis nuntiavit; ideoque Magnus inquit Apoſtolus inter Fideles non deeſſe quoſdam, qui ore quidem fatentur eſſe Deum, & JESUM CHRISTUM Filium ejus, ſed factis hoc negant. Tit. 1. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Et ſane ſi hæc Religio non eſt minus Sancta, quam vera, dubitari non poteſt, quo minus ii, qui non ſequuntur leges, & regulas, quas nobis præſcribit, ſe profiteantur æque inimicos illius ac illi, qui eaſdem verbis impugnat.

Nonne mirum videtur, Auditores, in Chriſtiana Religione, quæ adeo late patet, fortaſſe nunquam minus extitiſſe fidei, quam hoc tempore, & fidem nunquam fortaſſe magis oppugnatam fuiſſe?

Ad hanc probandam veritatem, quæ paradoxum videtur, aliam, quæ certiſſima eſt, ſupponendam credo; quandoquidem ipſe Spiritus ſanctus eam docet; videlicet per bonam vitam, & opera ſancta, non autem ſimpliciter per eam profeſſionem, quæ fit extrinſecus, judicium eſſe ferendum de vera fide, quemadmodum de cauſſa ex ejus effectibus fertur judicium. Jacobi 2. *Oſtendam tibi ex operibus fidem.* Hinc fit, Auditores, ut ſi hinc quidem hanc inſpicimus regulam, inde vero ad examen vocamus vitam, & actiones plerorumque Chriſtifidelium, metuere non debeam quominus aſſeram, infeſtiſſimos fidei inimicos eſſe ipſos Chriſtifideles, & fidem ab illis graviſſimum bellum ſuſtinere.

Tres aſſeram rationes, ex quibus fiet tota Sermonis hujus partitio.

Prima eſt, malos Chriſtianos actionibus ſuis oſtendere non plus fidei eſſe ſibi, quam Ethnicis, qui pertinaciter nihil credere volunt, licet tot illis afferantur certiſſima argumenta, quæ veritatem noſtræ Religionis evincunt.

Altera eſt, illos fidei ſuæ abrenuntiare, poſtquam profeſſi ſunt illam, veluti Hæretici, & ii, qui propter metum ſuppliciorum, vel per effuſionis licentiæ ſpiritum, miſere Apoſtatæ facti ſunt.

Tertia denique, illos per nequitiam morum ſuorum perſequi fidem ſuam crudelius, quam olim fecerint Tyranni, qui illius quærebant excidium. Verbo, dico, malum Chriſtianum præ ſe ferre, nullam ſibi fidem eſſe, ſe illi nuntium mittere, poſtquam ſuſcepit; ſe illam perſequi, & quantum in ipſo eſt, in ſe; & in aliis evertere. Quod vobis probaturus ſum in tribus partibus hujus ſermonis.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: FIDES, *ubi quoſdam invenies locos huic argumento inſervientes.*

Cum venerit Paracletus arguet Mundum de peccato, de juſtitia, & de judicio. Joann. 16.

III. ARGUM. *Quantum officiat ſaluti adhærere Mundo.*

Si Spiritus ſanctus ſuavitas eſt, & conſolatio, ex quo Conſolatoris nomen illi factum eſt, cur nam, Fideles, in terras venturus eſt cum minis, & probris contra Mundum, qui cauſſa eſt omnium peccatorum, & qui eſt quoddam veluti compoſitum iniquitatum per tres concupiſcentias, quæ ſunt veluti elementa Mundi hujus perverſi, ac reprobati? *Quidquid eſt in Mundo, eſt concupiſcentia oculorum, concupiſcentia carnis, & ſuperbia vitæ.* Mirum eſſe non debet, Filium Dei palam aſſeruiſſe, ſe non eſſe de hoc mundo, & ſe a Mundo ſemper habitum fuiſſe tamquam inimicum, ex quo ipſe nobis cauſſam aperuit, propter quam ipſum oderat Mundus; quia ſcilicet ſuum prædicans Evangelium palam fecit, omnia Mundi opera mala eſſe, & plena nequitiæ, injuſtitiæ, & impietatis: non miror ſi in hodierno Evangelio JESUS CHRISTUS, aſſerat poſtremum Spiritus ſancti officium, cum ipſe illum miſerit in terram, eumque affluenter Apoſtolis ſuis communicaverit, futurum, arguere Mundum de peccato. *Cum venerit Paracletus, arguet Mundum de peccato.*

Illud autem miror, Fideles, poſtquam receperunt lumina Sancti ſpiritus, poſtquam audiverunt probra, & invectivas illius contra Mundum, poſtquam didicerunt ab Apoſtolis, & præcipue a Sancto Jacobo, quod quicumque eſſe voluerit amicus hujus Mundi, inimicus Dei conſtituitur; poſt hæc, inquam, Fideles miror ſibi perſuadere, ſe poſſe ſimul ſervire Deo, & Mundo; ſemperque huic adhærere, quod Spiritus ſanctus arguit, & damnat triplici ex cauſſa, quæ ſermonis hujus partitionem conſtituent.

Primo Mundus videri non poteſt, quin illius amore capiamur; nos ſeducit, nos allicit, nos attrahit, & tandem ſibi ita cor noſtrum devincit, ut vix ab illius illiciis noſmet tueri valeamus, & re ipſa citra peculiarem Dei gratiam lenociniis ejus reſiſtere non poſſimus.

Secundo, illius amore capi non poſſumus, quin illum ſequamur, videlicet quin noſmet moribus ejus aptemus; quin illi diſplicere, & in illius offenſionem incurrere vereamur; & ideo, quin Mundani efficiamur.

Tertio, illum ſequi non poſſumus, quin ruamus in interitum: hæc enim via lata eſt, quæ ducit ad Mortem.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum: MUNDUS.

PRO QUINTA DOMINICA
POST PASCHA.

Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo. Petite, & accipietis. Joann. 16.

I. ARGUM. De Oratione facta in nomine J. Chr.

HÆc amabililis eſt exprobratio, qua Dei Filius in hodierno Evangelio redarguit Apoſtolos, qui nondum quidquam in nomine ejus petierant; quandoquidem hoc proficiſci nequit niſi ab exceſſu benevolentiæ, vel ſinceri deſiderii illos efficiendi beatos ſuggerendo medium, quo id aſſequi poſſunt, videlicet orationem in illius nomine faciendam: *Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo.* Hoc tamen, Auditores, erat ſatis palam modicam illorum increpare fidem; ſi enim vere illius cognoviſſent virtutem, profecto uſi fuiſſent facultate, quam apud illum obtinebant, id quod optandum ipſis erat, conſecuturi. Hoc erat illis dicere ſe parum in ipſum confidiſſe; quandoquidem veriti fuerant, ne preces ipſorum benigne exciperentur, poſtquam illos ſibi Apoſtolos delegerat, ac toties ſui amoris ſpecimina illis præbuerat. Hoc denique erat eorum inſcitiam reprehendere; quandoquidem uti neſciebant oblata occaſione proficiendi, cum ille, cujus opera uti poterant, eſſet omnipotens.

Eſto quidem, hi fuerint ſenſus Apoſtolorum, ſed non abhorret a fide, illos, cum nondum illuſtrati fuiſſent luminibus Spiritus ſancti, quod deinceps accidit illis, ignoraſſe quid ſibi petendum eſſet, nec quomodo petendum; ut eo modo peterent, quo repulſam non eſſent laturi. Hæc enim duo illa ſunt, de quibus Salvator illos erudiendi curam aggreſſus eſt, & in illorum perſona fideles omnes, & quid illis a Deo petendum eſſet precibus ſuis; & quomodo petendum. Itaque hic homo-Deus dignatus eſt illis hanc artem adeo admirabilem, perutilemque tradere, cujus univerſa præcepta ad puncta duo rediguntur, quæ ſermonis partitionem conſtituent.

Primo videlicet, quid ſit petendum; quod fuſius tradidit in Oratione Dominicali, quæ eſt tamquam ceterarum exemplar.

Secundo, modus, quo petendum eſt; quod prolixius docuit cum per certos Canones quos tradidit, tum per parabolas, & ſimilitudines, ne qua nobis relinqueretur dubitatio de re tanti momenti. Initium ergo faciamus a primo, quod aperit ea, quæ ſunt petenda.

Vide in Tomo III. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum: ORATIO.

Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis. Joann. 16.

II. ARGUM. Deus nobis poſtulata concedit ob tres cauſſas propter quas ab hominibus reſpuuntur.

Quæ tria efficere conſueverunt, ut homines, ſi quid unquam ab illis quæratur, preces noſtras rejiciant, eadem ſunt, propter quæ Deus precibus noſtris ſubſcribit, immo quæ etiam exigit tamquam neceſſarias orationis noſtræ conditiones, ſine quibus preces ipſæ tantum abeſt, quod Deo ſint acceptæ, ut immo nos nocentiores efficiant.

Prima eſt, cum petimus magna, quæ vires eorum, a quibus petuntur, ſuperant, eorumque excedunt facultates. Jure enim homines preces noſtras rejiciunt. Non ita Deus; e contra illum offendimus ab eo quærentes ea, quæ ſunt nihili, cujuſmodi ſunt bona temporalia, ſaltem quædam; ſed vult ab ſe digna ſe peti, gratias, æternam beatitudinem, omnes Cæli divitias & Dei ipſius poſſeſſionem. Petitiones noſtræ modum excedere nequeunt; quandoquidem plura nobis pollicitus eſt, quam quæ optare valeamus.

Altera eſt, cum preces noſtræ nimis urgent, ac importunæ ſunt. Hoc quidem nobis diligentiſſime cavendum eſt, cum aliquid ab hominibus imploraturi laboramus. Sed a Deo nihil vel nimis crebro, vel nimia cum feſtinatione petere poſſumus; quandoquidem non concedit gratias, favoreſque ſuos niſi petentibus cum fervore, ardentique deſiderio illos obtinendi.

Tertio, cum preces non fiunt opportuno, & cum illi, quem precamur, non vacat nobis aures præbere, vel alia animo illius obverſantur, quæ cum petitionibus noſtris conciliari non poſſunt, cavendum eſt nobis: Sed Deus in ſingulas horas, & momenta paratus eſt, nobiſque ad illum confugere licet; immo nos excitat ad petendum, atque ſuos increpat Apoſtolos, & fortaſſe nos aliquando increpabit, quod ab eo nihil petierimus.

Conſule in loco quem ſuperius memoravimus Titulum: ORATIO.

Uſque

Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo; petite, & accipietis. Joann. 16.

III. ARGUM. Cur Deus preces noſtras non audit.

Cur ſæpe Deus preces noſtras non audit? Quare inutiles ſunt, & carent effectu? Hoc triplici verbo docet Sanctus Auguſtinus, quæ erunt ſermonis partitio. *Mali petimus, Mala petimus, Male petimus.*

Primum. Cum oramus tales non ſumus quales eſſe deberemus. Sumus in peccato, & quin inde emergere adnitamur, gratias deprecamur, quas ſuis tantum deſtinat amicis. Si quid impetrare cupimus, vel eſſe debemus in gratia, vel in voto in eam revertendi.

Secundo. Licet in gratiæ ſtatu verſemur, quin ſaluti noſtræ utilia petamus, vilia, & nullius pretii petimus votis noſtris indigna; quamobrem ſpiritualia petenda ſunt; & digna Dei, a quo petuntur, magnificentia.

Tertio. Male petimus, neque eo modo, quo Deus orandus eſt, videlicet cum humilitate, fervore, & perſeverantia; quæ ſunt conditiones, quibus preces noſtræ ſunt conſociandæ.

Vide locum ſuperius memoratum.

Uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo; petite, & accipietis. Joann. 16.

IV. ARGUM. Tria, quæ preces noſtras Deo acceptas reddunt.

Oraturis tria ſunt præcavenda, quæ ſi deſint, metuendum eſt, ne repulſam patiamur.

Primo. A quo petimus, & ad quem confugimus gratiam impetraturi. Ad Deum nempe, Supremam Majeſtatem, quæ nobis aures præbere dignatur; ideoque cum reverentia, cum humilitate, & noſtræ miſeriæ præfatione noſmet illi præſentare debemus.

Secundo. Quæ ab illo petenda ſint? Hæc ille nobis in Dominicali Oratione præſcripſit. Ea quæ ad illius quidem gloriam, noſtram vero ſalutem pertinent.

Tertio. Quomodo petenda ſint? ſcilicet cum confidentia, fervore, reſignatione, & potiſſimum cum perſeverantia.

Vide locum eumdem.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Et Dominus quidem JESUS, *poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cælum.* Marc. 16.

I. ARGUM. Salvatoris Aſcenſio ſpei noſtræ fundamentum.

ECCE tandem, Auditores, felicem exitum laborum Salvatoris Mundi, & glorioſum terminum itineris ejus, quo nomine illum Sanctus Bernardus appellat; poſtquam enim de Cælo in terram propter ſalutem hominum deſcendit, & poſtquam magnum illud opus abſolvit, hodierna die terram relinquit reverſurus in Cælum. Beatam diem! qua Cælum, quod per tot ſæcula clauſum erat, tandem aperitur ad ingreſſum præbendum huic Homini-Deo victoriam de morte, omnibuſque inferorum poteſtatibus referenti. Diem triumphalem! cujus pompa, & apparatus reſpondet Majeſtati hujus Regis gloriæ ad remuneranda opprobria, & contumelias, quas amoris noſtri cauſſa ſubire dignatus eſt. Diem lætitiæ, & conſolationis! quandoquidem ſpem facit, nos quoque ingreſſuros in hoc regnum æternum, cujus per aſcenſionem pro ſe, ſimul ac nobis Salvator adit poſſeſſionem.

Ita, Fideles, Dei Filius in aliis omnibus Myſteriis voluit hominum utilitatem cum ſui nominis gloria conciliare: quæ agendi ratio nunquam magis, quam in hac enituit occaſione: quippe felicitas noſtra conſequitur illius felicitatem: in Cælum aſcendit, ut nos illuc trahat; illud ſibi comparavit, ut nobis præberet jus eo contendendi; & illuc aſſumptus eſt coram Apoſtolis ſuis, ut excitaret in illis ſpem illuc ad ejus exemplum perveniendi. Quamobrem hodierna die Filii Dei Aſcenſio haberi poteſt, non tamquam gloriæ ſuæ poſſeſſio, ſed tamquam ſpes noſtræ.

Primo, quia illius eſt præſtantiſſima cauſſa, ac ſolidiſſimum fundamentum.

Secundo, Quænam eſſe debeat ſpes a nobis concipienda videntibus Salvatorem in Cælum ſublatum, & quomodo regenda ſit, ut fiat medium, quo nos quoque aliquando aſcendamus, noſmet corde, & affectu ex hac vita attollentes. Hæc erit Sermonis partitio, qui Myſterium hoc in diſciplinæ praxim convertet, cujus uſus familiaris eſſe debet Chriſtifideli.

Pars prima. Dico Aſcenſionem Domini ſolidiſſimum eſſe fundamentum, & validiſſimam ſpei noſtræ rationem, ſi mecum tria velitis animadvertere, quæ in hoc argumento ſunt maxime propria, & obvia. 1. Dei Filium nobis acquiſiviſſe jus contendendi in Cælum, quo ille prior ingreſſus eſt, & cujus aditum nobis reſeravit tot ante ſæcula clauſum. 2. In hac Aſcenſione nobis etiam oſtendit viam, quæ nos adducit in Cælum, & vitam; videlicet humiliationem, & paſſiones, per quas meritus eſt attolli, & gloria coronari: *Vidimus* JESUM *per paſſionem gloria, & honore coronatum*; ut Apoſtolus loquitur. (ad Hebr. 2.) 3. Salvator in Cælum aſcendens, & ſedens ad Patris ſui dexteram ipſe nobis neceſſaria ſuppeditat auxilia, ut ad gloriam, quam ipſe nobis comparavit, perveniamus.

Pars altera. Ut autem innoteſcat, quænam eſſe debeat ſpes Chriſtiani, aliquando poſſidendi Cælum, ſupremumque bonum, cujus Dei Filius per Aſcenſionem ſuam jus nobis comparavit; conſiderandæ ſunt nobis conditiones, & qualitates ſpei generatim; eæque applicandæ peculiariter huic Aſcenſionis Myſterio. 1. Præſupponit deſiderium, quod ab ea ſeparari non poteſt, Sanctus Thomas ait. 2. Poſtulat animum, & generoſum conatum ad acquirendum bonum difficile, quod illius objectum eſt. 3. Illam ſubſequitur certa lætitia, quæ poſſeſſionem præcedit, & quæ efficit, ut in anteceſſum eo perfruamur. Hic proprius eſt character Chriſtianæ Spei, quem Dei Filius in Cælum aſcendens impreſſiſſe videtur in corde diſcipulorum ſuorum, & qui connotatus eſt in Evangelio per circumſtantias pompæ illius, cujus ſpectatores fuerunt.

Vide in Tomo II. Bibliothecæ Myſt. Theolog. Titulum: ASCENSIO.

Et Dominus quidem poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cælum. Marc. 16.

II. ARGUM. Ideo Filius Dei aſcendit in Cælū quia deſcendit in inferiores partes terræ.

Argumentum quod mihi videtur æquius, & maxime accommodatum huic Myſterio, & quod locum præbet pluribus animadverſionibus ad Mores ſpectantibus, illud eſt, quod nobis ſuggerit Sanctus Paulus, cum aſſerit JESUM CHRISTUM ideo ad Cælorum verticem aſcendiſſe, quia primum uſque ad infimas terræ partes deſcenderat; innuens, quantum Dei Filius in Mundo cum viveret, humiliavit ſe, tantum per glorioſam Aſcenſionem ſuam fuiſſe exaltatum. Ubi Sanctus Thomas advertit, ipſum tribus potiſſimum in rebus ſe ſe humiliaſſe, quæ conſequenter fuerunt tamquam totidem gradus elevationis in hoc glorioſo Myſterio, & quæ Sermonis hujus partitionem conſtituent.

Primo humiliavit ſe ratione loci, deſcendens uſque ad profundas terræ abyſſos, & ad compenſandam admirabilem hanc humiliationem ſublatus eſt uſque ad Cælorum verticem.

Secundo humiliavit ſe in honore, & exiſtimatione ſua perpeſſus omnes contemptus, injurias, & excogitabiles contumelias, atque ut inquit Propheta, opprobriis ſaturatus. In hoc autem Myſterio Rex eſt gloriæ, & magnificentiſſimo triumpho decoratur.

Tertio humiliavit ſe habita ratione ſuæ poteſtatis, quandoquidem ſubjecit ſe univerſis terræ poteſtatibus; Sed in hoc Myſterio ſupremam adipiſcitur poteſtatem ſuper omnia creata. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in Terra.* (Matth. 28.)

Vide locum ſuperius memoratum.

Et Dominus quidem JESUS, *poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cælum.* Marc. 16.

III. ARGUM. J. C. per Aſcenſionē ſuam nobis aperit Cælum, & ſpem præbet illuc ingrediendi.

JESUS CHRISTUS per Aſcenſionem triumphalem ingreditur in poſſeſſionem debitæ ſibi gloriæ, ſimulque obtinet nomen glorificatoris hominum, pro quibus aſcendit in Cælum, quemadmodum pro illis illinc deſcenderat. Profecto tria requirebantur, ut glorioſum hunc Glorificatoris titulum ſibi compararet.

Primo. Aperit Cælum, quod hactenus clauſum fuerat omnibus hominibus, ubi oſtendendum eſt, quomodo hoc fuerit, & quomodo præter ipſum erat nemo, qui hoc facere poſſet.

Secundo, opus erat ut certam nobis adſtrueret ſpem, illuc ingrediendi; quænam eſſe debebat hæc ſpes & in quo fundata.

Tertio, opus erat ut illuc noſtra attraheret deſideria: ibi enim theſaurus noſter eſt, ideoque ibi quoque decet eſſe cor noſtrum, ſicut ipſe ait. Hoc autem ex Salvatoris Aſcenſione percipimus: Cælum modo patet, & in nobis ſitum eſt, illuc ingredi: per hoc certam habemus ſpem fore ut ibi admittamur meritis hujus Hominis-Dei innixam. Ille nos eo trahit, vel ſaltem trahere debet per ferventia deſideria; quoniam hic locus eſt noſtræ quietis, ubi perfecta fruemur beatitudine; & hæc eſt cauſſa propter quam Sanctus Leo Aſcenſionem Filii Dei hominum elevationem, & glorificationem appellat.

Vide locum eumdem.

Et

Et Dominus quidem JESUS *poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in Cælum.* Marc. 16.

IV. ARGUM. Salvator adit poſſeſſionem Regni Cælorum.

In hoc Myſterio Salvator hominum vere eſt Rex gloriæ; quem titulum illi tradit Pſalmiſta Prophetico Spiritu de illius Aſcenſione locutus. *Quis es iſte Rex gloriæ? iſte eſt Rex gloriæ.* (Pſalm. 23.) Idque triplici ex cauſſa, quæ tres hujus Sermonis partes conſtituent.

Primo, quia poſſidet Regnum Cælorum titulo acquiſitionis, qui procul dubio titulus eſt glorioſiſſimus, ſed uni Filio Dei debitus, qui illum adeptus eſt per ſolam virtutem, & ſumptum Sanguinis ſui, qui ſolum ſibi magnam hanc acquiſitionem comparavit, quia gloriam cum aliquo partiretur, ut victores alii, qui victoriarum ſuarum debitores ſunt Ducum ſuorum virtuti, ac militum fortitudini. Ipſe unus pugnavit, ipſe unus erogavit ſumptus, ipſe unus denique ſibi viam in Cælum antea inacceſſum aperuit.

Secundo per modum, quo adit Regni hujus poſſeſſionem; modum videlicet, quo & illuc ingreditur, & quo illic excipitur: videlicet triumphans, cum honorifico Sanctarum animarum apparatu, quas de captivitate liberavit, Spirituumque beatorum occurrentium obviam illi in nube fulgida, quæ loco eſt currus triumphalis, & cum eo omni apparatu, qui maxime ejus meritum, & perſonæ dignitatem decebat.

Tertio per ſupremam, quam exercet poteſtatem; bonum enim, & commoda, quæ procurat ſubditis ſuis; dona, & gratias, quæ illis largitur, & quæ illi impoſterum operaturi ſunt; hæc omnia mirifice in ipſius gloriam cedunt &c.

Vide locum de quo ſupra.

PRO DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis. Joan. 5.

I. ARGUM. Contra humanū Reſpectum, qui vetat ne perhibeamus teſtimoniū noſtræ Religionis, & fidei.

EN, lectiſſimi Auditores, duo eximii effectus Spiritus ſancti, de quibus hodiernum loquitur Evangelium, & qui in duplici continentur teſtimonio, quod perhibiturus eſt de perſona Filii Dei. Primum interius eſt, quod per ſe immediate faciet, & per ſecretam operationem in cordibus ſub fidei jugo captivandis. *Ille teſtimonium perhibebit de me*; Alterum vero exterius eſt, ab Apoſtolis perhibendum, qui palam Deum ſuum profitebuntur illum eſſe, quem antea non audebant pro Magiſtro cognoſcere. *Et vos teſtimonium perhibebitis.* Ita ut qui de illo ſcandalizati ſunt, vel qui illum in morte negaverunt propter metum hominum; illum audacter confeſſuri ſint in rotis, & eculeis: qui non audebant ſe vocare ejus Diſcipulos, primi omnium perhibituri ſint teſtimonium doctrinæ illius; illi, quos puduit ſe eumdem ſecutos eſſe, palam profeſſuri ſint coram Judicibus, atque Tyrannis, ſe nolle vivere, aut mori niſi propter illum, & effuſionem Sanguinis ſui vocatum iri Martyrium, videlicet ſuæ fidei, ac religionis teſtimonium. Hæc autem duo teſtimonia interius nempe, ac exterius arcte adeo ſibi conjuncta ſunt, ut audeam dicere alterum ſine altero eſſe non poſſe; unde inferri poteſt eum qui timet, & quem pudet profiteri, quod eſt; videlicet, timentem palam facere ea, quæ fides, & Religio ipſum facere jubent, non eſſe vere Chriſtianum. Hunc, ut videtis, hominum metum, qui vulgo reſpectus humanus vocatur, hodierna die perſequor.

Sunt, Auditores, duo vitiorum genera prorſus ſibi oppoſita, & ex æquo metuenda in virtutum praxi, & actionum Chriſtianarum exercitatione, videlicet vanitas, & humanus reſpectus, quæ vocare poſſum ſcopulos, in quos alliſa plerorumque mortalium virtus naufragium facit. Duo hæc vitia ſibi ex diametro adverſantur: Per alterum enim omnia fiunt, ſicut Dei Filius teſtatur, *ut videantur ab hominibus*; & Alterum vetat, ne quid fiat, præ timore, ne hoc ab hominibus videatur. Alterum quærit lucem, & virtutem exercet, non tantum propter ipſam, quantum propter honorem, & exiſtimationem, quæ illam ſubſequitur; Alterum vero latet, & pudore ſuffunditur non quia bonum eſt, ſed propter verecundiam, & commentitium dedecus, quod virtuti inhærere arbitratur. Alterum jugulat omnes productiones virtutis, ſimulac erumpere incipiunt; & alterum vetat, ne lucem videant, eaſque mactat in corde, ubi conceptæ fuerunt; Alterum denique eripit gloriam Deo, cui debita eſt, alterum vero prohibet, ne tribuatur illi. Quamvis autem hæc duo vitia ſint æque metuenda, & alterum non minus altero vetet, ne perhibeamus teſtimonium illud, quod debemus Deo, mihi ſatis erit hodierna die loqui de malo, quod magis urget, & uſitatius eſt hoc tempore, quo hominum plerique, quin ex virtutibus ſuis gloriam aucupentur, illos potius ſuæ fidei, & religionis pudet, & erubeſcunt coram hominibus adeo præclari nominis officio fungi.

Hoc in argumento, Auditores, fert animus oſtendere, eum, qui propter inanem hunc reſpectum, ineptumque timorem renuit perhibere Filio Dei fidei teſtimonium, quod expetit; hoc eſt, quem pudet palam hominis Chriſtiani muneribus fungi, ſibi expectare debere

Primo fore ut Dei Filius illum recognoſcere abnuat coram Patre ſuo, *Qui me erubuerit coram hominibus, erubeſcam, & ego eum coram Patre meo.* (Luc. 9.)

Secundo, fore ut non mereatur hominum teſtimonium, quoniam videbit ſe ab hominibus contemptum, quibus placere conatur ſumptibus officii ſui.

Tertio tandem non frui poſſe conſcientiæ ſuæ teſtimonio, quoniam hic humanus reſpectus illum in plurima crimina præcipitem daturus eſt. Hæ tres ſunt rationes quibus hodierna die utor, ſuaſurus, ut virtutem audacter profiteamini, & publicum perhibeatis veſtræ fidelitatis teſtimonium Domino, cui famulamini. Hoc erit argumentum, & hujus ſermonis partitio.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Mor. Evangel. Titulum: RESPECTUS HUMANUS.

Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. Joann. 15.

II. ARGUM. Nemo poteſt majorem Deo honorem teſtari, quam perferendo propter amorem illius. De bono tribulationum locuti ſumus in Evangelium feriæ ſecundæ poſt Reſurrectionis Dominicæ.

Operoſum non eſt, Auditores, hanc vobis probare veritatem, neque enim majorem teſtamur generoſitatem, ab omni cupiditate alienationem, ac fidem Deo, quam in tribulationibus; hæ ſunt conditiones præcipuæ, quæ magnum, perfectumque amorem oſtendunt, conditiones, quæ excellenter conjunctæ videntur in ipſa etiam erga Deum Caritate.

Primo cum magno, & æquo animo omnes excipimus ærumnas, quæ ab ipſo proficiſcuntur; quia hic amor fortior eſt, & generoſior; namque illi placituri patimur, quidquid gravius eſt, atque acerbius.

Secundo, purior eſt, & ab omni cupiditate remotior: oſtendit enim, Deum amari, eique ſervitutem præſtari non propter hujus vitæ bona, neque ſpem terrenæ alicujus utilitatis.

Tertio denique conſtantior, & fidelior eſt, quandoquidem cruces, & perſecutiones nequeunt nos ab illius ſervitute divellere. Paucis percurramus tria hæc ſui amoris argumenta, ex quibus intelligemus qualis ſit noſter, & qualis eſſe debeat amor veri Chriſtiani erga Deum, qui nunquam magis nobis teſtatam reliquit amoris ſui magnitudinem, quam cum paſſus, ac mortuus eſt pro nobis.

Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum: TRIBULATIONES.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit; ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis. Joann. 15.

III. ARGUM. De bono exemplo, quod eſt teſtimonium quod Deo, perhibere debemus, & quod ipſe expectat a nobis.

Jure optimo dixerat jam Salvator tres eſſe perſonas; quæ de ſe teſtimonium perhibebant in Cælo: videlicet Pater æternus, Verbum Divinum, ſcilicet ille ipſe, & Spiritus ſanctus. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus.* (1. Joann. 5.) Æternus Pater illi reddidit teſtimonium in ipſius Transfiguratione. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* (Matth. 3.) Spiritus ſanctus illi perhibuit teſtimonium, cum ille baptizaretur, deſcendens ſuper illum in ſpeciem columbæ, comitante ipſum voce miraculoſa. Verbi perſona illi etiam præbuit teſtimonium: ipſe enim ad Judæos loquens dixit illis, actiones ſuas, & miracula, quæ alius præter Deum operari non potuiſſet, ſatis perhibere teſtimonium ſupremæ ſuæ poteſtatis, quamvis teſtimonium illud, quod ore proprio proferebat, admittendum non eſſet; *Opera, quæ ego facio, ipſa teſtimonium perhibent de me.* (Joann. 5.) Difficilis eſſet cognoſcere illa tria, quæ ſuper terram de ipſo perhibent teſtimonium. *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra Spiritus, & aqua, & ſanguis.* (1. Joann. 5.) Quin immorer in ſingulis explicationibus, quæ verbis iſtis tribuuntur, dicere poſſum eſſe creata ſen-

ſu